



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Sententia Synodi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO CHRISTI 359. congruat, & salus omnium longe lateque populorum hoc fundamine roboretur. Sed res admonuit instituta rursus \* existere. Non enim aliquis definita geminari superfluum iudicabit, cum rebus consueuerit admonitio augere cumulum diligentia. His ita se habentibus, de fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, & operam dari ut ecclesiasticis rebus ordo competens praebeat. Discurret namque cunctorum posteritas ubique populorum, & concordia fida seruabitur, cum penitus amputatis \* nec huiusmodi questionibus cunctis secundo commouerit, res ista non debet ita intentionem animi propagare. Non enim de orientalibus episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum quae ad vos pertinere cognoscit grauitas vestra, tractare debebitis, & completis celeriter vniuersis, consentiente consensu, decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiae vestrae prioribus literis intimauiimus. Prædicti enim poterunt omnibus, quae eisdem orientalibus proposuerint, respondere, vel tractare de fide, ut exitu competenti omnis quæstio terminetur, & ambiguitas sopiaatur. Quæ cum ita sint, aduersus orientales nihil statuere vos oportet, aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire, id quod fuerit usurpatum irrito euanescent effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur iam nunc robur & \* cupiam denegari. Quæ cum ita sint, moderatione religionis venerabilibus antistitibus consentanea debetis veneranda perficere, ut id quod religio postulat, explicetur, & quod audiri prohibetur, nullus usurpet. Diuinitas vos seruet per multos annos parentes K. dat. 6. Kal. Iunias Eusebio & Hypatio coſſ.

Constant.  
Imp. altera  
epift. ad Sy-  
nod. Ari-  
min.

### SENTENTIA SYNODI.

Quamdiu par & possibile erat, fratres carissimi, catholica Synodus, & sancta ecclesia, sua patientia & tolerantia pertulit indigne Vrsacium, & Valentem, Caium, Germinium, & Auxentium; qui alias alia sentientes, omnes ecclesias perturbarunt, & nunc in praefentia ausi sunt hereticas sententias orthodoxæ fidei assertere, & Nicenam Synodum hostem Arianæ heresis

Exstat apud  
Athan.lib.  
de Synod.

demoliri, suamque sed peregrinam & alienissimam a sanctissima ecclesia fidem conscriptam promulgare, quam nos recipere, nefarium putauimus. Qui cum iam prius hæretici essent, etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire: quos ad communionem nostram accedere prohibuimus, eosque in præsentia nostris verbis condemnantes, a cœtu fidelium reiicimus. Vos item quod videbitur de ipsis statuite, ut vniuersiusque cognitio ex sua subscriptione robur habeat. Vnanimiter vos episcopi dicimus. Prædicti isti inimici detrahantur ab ecclesia, ut catholica ecclesia in pace permaneat.

DEFINITIO CATHOLICA CONCILII  
*Ariminensis apud Hilarium extans hæc est.*

Exstat apud  
Hilar. frag.  
lib. 2. p. 45.  
& 46.

Incipit definitio catholica habita ab omnibus catholicis episcopis, priusquam per terrenam potestatem territorii, hæreticorum confortio sociarentur in Concilio Ariminensi.

Si credimus placere omnibus posse catholicis symbolo accepto nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum re cognouimus: nec a fide recessuros, quam per prophetas a Deo Patre per Christum Dominum nostrum, docente sancto Spiritu, & in euangeliis & in apostolis omnibus suscepimus, ut per traditionem patrum secundum successionem apostolorum usque ad tractatum apud Nicæam habitum contra hæresim, quæ tunc temporis exurrexerat, positum nunc usque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui posse manifestum est. Placet ergo nihil nouum fieri: substantiæ quoque nomen & rem a multis sanctis scripturis insinuatam mentibus nostris, obtinere debere sui firmitatem. Quam rem cum suo nomine ecclesia catholica cum doctrina deifica semper confiteri & profiteri consueuit. Subdit auctor. Huic definitioni omnes in unum catholici conspirantes subscripserunt.

DAM: